

I, q. 32, a. 1 ad 2m) emanationem intelligibilem et divinam non esse nisi hypothesis.

Scientifice. Quod sub aspectu logico non est nisi hypothesis, sub aspectu scientifico ad dignitatem theoriae pertingere potest. Quo enim magis hypothesis totum quendam cāmpum penetrat, ordinat, integrat ut omnis conceptus proprius omneque proprium principium ex ea derivetur, quo exactius et p̄x plenius omnia data explicat, quo difficilius alia hypothesis inveniri potest quae vel aequē bene eodem munere fundatur, eo securius nomen theoriae sibi vindicat.

~~Proinde, cum theologia non merum quoddam artis logicae~~ ^{pura} ~~theologica sit,~~

Proinde, cum theologia non merum quoddam artis logicae exercitium sit sed positiva de Deo scientia in verbo Dei fundata, non solis criteriis logicis sed etiam scientificis de conclusione theologica & iudicandum est. Neve timeas e criteriis scientificis non orituram esse nisi vanam opinationum multiplicationem, cum ad hanc multiplicationem sine criteriis scientificis iam pridem perveniamus, dum in aliis scientiis videamus ~~nam~~ eo magis ad unitatem et concordiam attingi quo magis et ipsae scientiae evolutae sint et propria earum criteria accurate determinata.

Quo usque vero praesens hypothesis ad rationem theoriae pertingat, tum absolute tum comparative decernitur

Sed alios actus stricte spirituales ignoramus praeter actus intellectus et voluntatis; et omnis talis actus est ~~re~~ realis, naturalis, et conscientius; et omnis actus conscientius est intra conscientiam; et omnis origo actus conscientiae ex actu conscientiae est vi ipsius conscientiae.

* Praeterea, ad ipsum procedendi modum stricte spiritualem attendi oportet

8. Ex emanatione intelligibili. Nam emanatio intelligibilis est sola processio creata a nobis cognita in qua oritur (1) actus stricte spiritualis (2) ex actu stricte spirituali (3) secundum modum procedendi stricte spiritualem. Nam actus stricte spiritualis non invenitur nisi in ~~xim~~ intellectu et voluntate; et omnis actus in intellectu et voluntate est actus realis, naturalis, et conscientius. Praeterea, ubi oritur actus realis, naturalis, et conscientius ex actu reali, naturali, et conscientia, ipsa origo ~~mm~~ est conscientia, intra conscientiam, et vi ipsius conscientiae actu priori determinatae. Quod tamen dupliciter fit: uno modo in parte Quod tamen aliter fit in parte sensitiva, et aliter in parte intellectiva. In parte sensitiva enim haec conscientia origo seu emanatio fit secundum spontaneitatem naturae quae legibus specificis regitur, e. g., ut delectabilia visa desiderentur, ut bestia ferox visa terreat, etc. In parte vero intellectiva conscientie oritur actus ex actu, non secundum spontaneitatem particularis cuiusdam naturae, sed secundum

Ita actus directus intelligendi est actus realis, naturalis, conscious intra conscientiam intellectualem. Quia intelligimus, possumus definire, exponere, explicare. Quia clare et distincte intelligimus, possumus clare et distincte definire, exponere, explicare. Et secundum quod clare et distincte intelligimus, id ipsum quod intelligimus, definimus, exponimus, explicamus. En emanatio intelligibilis intra conscientiam intellectualem, vi conscientiae intellectualis; quae emanatio dici potest emanatio secundum claritatem.

Iterum, actus reflexus intelligendi est actus realis, naturalis, conscious intra conscientiam intellectualem; quo actu perspicimus evidentiae sufficientiam. Quia ergo hanc sufficientiam perspicimus, et rationaliter iudicare possumus, et non iudicare non possumus nisi irrationaliter. Praeterea, ex hoc aliquo actu intelligendi reflexo non quodlibet emanat iudicium, sed illud tantummodo quod est secundum evidentiam perspectam. En altera emanatio intelligibilis, eaque secundum veritatem vel rationalitatem, ut procedat iudicium propter et secundum perspectam evidentiam sufficientem.

Denique, iudicium practicum est actus realis, naturalis, conscious intra conscientiam intellectualem; quo actu iudicat quis aliquid a se fieri vel convenire vel decere vel oportere; quo ex actu, vi conscientiae intellectualis, oritur actus voluntatis, et oritur quidem libere, responsibiliter, moraliter. Oritur libere, quia ipsum subiectum conscientium se determinat ut velit secundum hoc iudicium practicum. Oritur responsibiliter, quia prudens et sciens et causa cognita ipsum subiectum se determinat. Oritur moraliter, quia subiectum conscientium non se determinat quin ad bonum honestum respiciat. En tertia emanatio intelligibilis, eaque secundum honestatem vel etiam sanctitatem.

Porro, alios actus stricte spirituales ignoramus praeter actus intellectus et voluntatis; et omnis talis actus est realis, naturalis, et conscious; et omnis actus conscious est intra conscientiam.

Praeterea, ubi intra conscientiam oritur actus conscious ex actu conscientio, ipsa origo quodammodo est vi ipsius conscientiae. Quod tamen aliter in aliis fit. In parte enim sensitiva oritur actus conscious ex actu conscientio secundum leges specificas quae particulari huic naturae induntur; et ideo hac in parte conscientia, quia legibus specificis regitur, non autonoma sed spontanea est. In parte autem intellectiva oritur actus conscious secundum leges non specificas sed transcendentales quae particulari naturae non alligantur sed omnem naturam respiciunt cum in uno, vero, ente, bono fundentur

8. Ex emanatione intelligibili. Nam hoc ex antecessis sequitur. Inconscia enim processio aut est physica, chemica, biologica, aut est ex potentia vel habitu; si physica, chemica, vel biologica est, stricte spiritualis non est; si est ex potentia vel habitu, processio operati non est.

Conscia vero processio aut spontanea est aut propter et secundum cognitum motivum. Spontanea vero duplex est: alia enim ^{conscie} fit in parte sensitiva, sed excluditur quia non est stricte spiritualis; alia autem conscientia fit in parte intellectiva, sed excluditur quia potentiam importat, et eiusmodi est ex quaestionibus origo inquisitionis, dubitationis, deliberationis.

Non ergo remanet nisi processio et conscientia et ~~ex~~ propter cognitum motivum et secundum cognitum motivum. Et eiusmodi est emanatio intelligibilis eaque sola.

9. Conclusio positiva. Ex simplici analysi problematis ergo theologicis excluditur omnis alia via ad modum divinae processionis concipiendum praeter emanationem intelligibilem. Quod ergo statuimus, divinam nempe processionem esse per modum emanationis intelligibilis, non solum hypothesis est unde aliqua habetur intelligentia fidei, sed etiam unica est hypothesis.

Quicumque ergo querit illam mysterii intelligentiam fructuosissimam quam affirmavit c. Vaticanum I (DB 1796), unicam hypothesisin acceptet necesse est.

~~Qui autem aliquid magis certum quam unicam hypothesisin desiderat, ex problema intelligere non videtur. Haeresis enim semirationalistica esset demonstrare mysteria e principiis naturalibus (DB 1816); et mysterium demonstraret qui e principiis naturalibus in Deo esse demonstraret emanationem intelligibilem.~~

~~fontibus
Qui vero demonstrationem ex fontibus revelationis vellet, contra ordinem divinae providentiae reniti videtur. Non enim explicitate~~

Pars altera: Divina processio est per modum emanationis intelligibilis.

Hac altera parte incipit via synthetica. Proceditur enim ultra notiones et principia communia, quae in ratione entis fundantur, ut aliquid divinae naturae proprium attingatur. Et illud quidem proprium quaeritur quod principium sit atque fundamentum ad caeteras omnes huius tractatus quaestiones resolvendas.

Quare, ut vim argumenti capias, aliam memores esse scientiam, aliam intelligentiam, aliam sapientiam. Scientia enim est de conclusionibus quae logice de principiis fluunt. Intelligentia autem est de principiis quae terminis vere atque proprie cognitis eluent. Sapientis ~~tempore~~ denique est omnia ordinare et iudicare, et ideo ad sapientiam pertinet eos ~~se~~ diligere terminos et ideo ad sapientiam pertinet totam materiam conspicere, caetera ad unum quoddam reducere cuius intelligentia intelligentiam caeterorum non praesupponat, et inde ita initium sumere ut caetera ordinate exponantur.

Porro, duplex est sapientiae modus: alii enim sunt ipsi sapientes; alii autem eatenus sapiunt ^{quatenus} sapientem sequuntur. Quo altero modo sapientiam participantes, S. Thomam sequimur qui initium sumpsit de divina processione et de emanatione intelligibili (G. Gent., IV, 11; Sum. theol., I, q. 27, a. 1).

Postquam vero determinatum est unde sit incipendum, remansit ut hoc principium vere et proprie intelligatur. Proinde, illud in primis est intelligendum quod ad principium non concluditur sed ascenditur: vehementer ergo erraret qui opinaretur hanc alteram partem, sicut primam, esse ex veritatibus fidei deducendam. Non enim de deductione agitur sed de quadam quasi inductione vel, magis proprie, de ascensione mentis in Deum.